

quidem siue sequens proprie est illius speciei, de qua regulas tradidimus
 sinister autem vel antecedens ad speciem vno loco superiorem pertinet.
 Vt sint rursus multiplicandi 15, gradus in 21. scrupula prima, accipe 15.
 in linea diagonia trapezij, & 21. in latere sinistro. Inuenies igitur in an-
 gulari profelide 5. 15. id est, 15. scrupula prima, cum 5. gradibus. Nec
 opus esse arbitror vti pluribus exemplis in re planissima, cum & in se-
 quentibus idem subinde repetemus.

**III. Præcepta multiplicati-
 onis.**

Restat, vt his ita præparatis præcepta nunc multiplicationis sub-
 iungamus. Datis ergo duobus numeris inuicem multiplicandis, com-
 modius maiorem collocaueris supernè, & minorem infertè. Maiorem
 autem numerum voco eum, qui in plures species distributus est. Sic
 autem colloca vt vltima species inferioris seu minoris numeri rectè
 consistat sub vltima specie superioris vel maioris numeri, nec modo
 refert, utrum diuersæ, vel eadem species in eundem locum coueniant.
 Postea subtus inferiorem numerum ducito lineam siue simplicem malu-
 eris siue duplicem. Deinceps iuxta doctrinam de vsu canonis proximè
 traditam multiplicato vltimæ seu minimæ inferioris speciei numerum
 ordine in singularum specierum superiorum numeros à dextra versus
 læuam progressus, ac ordine promouens versus sinistram scribe nume-
 ros, qui ex multiplicatione nascuntur, siue singuli sint, siue bini, quod
 plærumque fit. Hinc subducta linea discriminis causa multiplicato
 iam similiter penultimæ speciei inferioris (si qua adest) numerum in
 omnes superiores suo ordine & initium scriptionis natorum numero-
 rum facies sub ipsis penultimis speciebus, supra primam lineam positus.
 In hunc modum petge, donec omnes inferiores numeros in singulos
 superiores duxeris, sicut etiam in vulgari logistice de multiplicatione
 præcipitur. Fortasse autem proderit duxisse lineas perpendiculares, vt
 singulæ species citra erroris suspicionem rectè discernantur, Quod cu-
 iusq; industriæ relinquatur. Ad extremum igitur singulorum locorum vel
 specierum numeros conijce in vnâ summam, reiectis subinde 60, &
 pro eis vnitate antecedentibus addita, vt in additione docuimus.

**Exemplum
 primum.**

Sed vnum atq; alterum exemplum adijciamus huic longo præcepto
 ex quibus cætera omnia similiter æstimabit prudens lector. Diurnus mo-
 tus solis compositus, scilicet, à medio æquinoctio est scrupulorum 59 1^a,
 8 2^a, 19 3^a, 37 4^a, 24 5^a, 25 6^a, 41 7^a, 39 8^a. Cupio scire motum 30.
 dierum. Id ita cognosces, si 30. multiplicaueris in omnes numeros
 diurni motus ☉. vt primum 30. multiplicata in 39. faciunt 19. 30.
 scribe 30. sub 39, & 19. loco priori. Inde in 41, ducta 30. faciunt 20.
 30. scribe 30. sub 19, & 20. loco rursus priori. Ad hunc modum
 vsque ad vltimum numerum iuxta sinistram pergentes, & adden-

tes